



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 255. Quid notandum sit circa dispensationem in jejuniis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

»lis statui non potest alia, quàm quòd lex Ecclesiæ
 »non obliget, cum magna difficultate, ut notat
 »Lay. n. 3.

» V. Charitas, vel etiam urbanitas secundum
 »quosdam excusat à veniali eum, qui die jejunii
 »rogatus ab amico, modicum cibi sumit. *Med.*
 »Fag. *Fill. Dia. p. 1. t. 9. R. 29.*; vel qui ad excitandum
 »infirmorum appetitum, comedit parum,
 »etiam carnis. *Nav. Sanch. Dian. p. 5. t. 5. R. 32.*

A D D E N D A.

1308 Q. 255. Quid notandum sit circa dispensationem
 in jejunio. *R. Seqq. §. 1.* Ad dispensandum cum
 particularibus sufficit una ex causis à jejunio non
 totaliter, sed aliquo modo, attamen non suffi-
 cienter excusantibus; item secundum dicta l. 1.
 n. 804. satis est, si dubium sit, an causa sufficiat
 necne, si enim causa esset gravis & certa, non es-
 set opus dispensatione, ita cum aliis *Illf. t. 4. d. 1.*
 n. 49. Quòd si Superior advertat causam adhuc
 esse minus sufficientem, *Tamb. in Dec. l. 4. c. 5. §.*
 7. n. 60. & alii suadent misceri aliquam commu-
 tationem, v. g. in Orationem vel eleemosynam.
Dixi, cum particularibus, nam pro dispensatio-
 ne universali, quâ utentur etiam alii multi, in
 quibus fortè causa non subsistet, uti si dispense-
 tur propter communem penuriam piscium,
 quos tamen multi nobiles & divites habere pos-
 sent, videtur requiri certitudo causæ rationabilis
 nunc existentis, qualis esset periculum morbo-
 rum propter pisces infectos, non quòd certum
 esse debeat tales morbos esse secuturos, sed quòd
 nunc debeat certò esse prudens metus & pericu-
 lum, quòd morbi sint inde probabiliter secuturi,
 ita

ita ut requiratur certitudo periculi, non tamen certitudo eventus: Ratio est, quia lex universalis jejunii est in certa possessione, à qua universaliter dejici non debet propter dubiam causam, hæc enim videtur esse mens Ecclesiæ sollicitè inquirentis in causas majores pro universali dispensatione, quamvis pro particulari in favorem hujus vel illius personæ non ita rigidè procedat, eò quòd lex communis ipsius adhuc retineat observantiam suà quoad reliquos.

§. 2. Si quis initio Quadragesimæ obtineat dispensationem à jejunio ob morbum, à quo post dies 8: integrè sanetur, *Salas & Burgh. cent. 1. cas. 24.* putant manere dispensatum pro reliqua parte Quadragesimæ, tum quia lex est sublata, nec redit sine nova voluntate Superioris, tum etiam quia dispensatio cum justa causa semel facta non revocatur, & favent dicta l. 1. n. 840; sed contrarium est probabilius cum *Sanch. De Matr. l. 8. d. 30. n. 4. Steph. t. 1. d. 5. n. 128* & aliis, quia dispensatus tantum potuit petere pro tempore, quo erat causa, & dispensans censeri debet dispensasse tantum pro eodem tempore, alioquin illicitè dispensasset, ergo cessante causâ cessat dispensatio: opposita tamen sententia haberet locum, si dubium esset, an perfecta sanitas sit obtenta; item pro scrupulosis. Vide dicta l. 1. n. 796. in fine ante Appendicem, item n. 808.

§. 3. Apud Religiosos possunt in jejunio cum subditis suis dispensare Provinciales & Superiores locales, ita *Azor t. 1. l. 7. c. 18. q. 6. Castrop. t. 30. d. 3. p. 2. §. 5. n. 12.*; non tamen Abbatisa, nec Medicus, cum careant jurisdictione spirituali, *Tamb. n. 62. cum communi.* Quivis tamen
homo

homo prudens, & præcipuè Medicus, potest declarare talem esse statum infirmi, ut non compatiatur jejunium, quo posito per se definit ejus obligatio: quòd si status ille permaneat dubius, à Superiore petenda est dispensatio; si non sit dubium de gravi damno secuturo ex jejunio, non esse opus dispensatione docent *f. Sanch. & Caram.*, sed tenendum est oppositum cum *Sanch. & Jlls.* supra, nisi adiri non posset Superior, & periculum esset in mora, quia lex manet in possessione.

1311 §. 4. In plerisque Dioccesibus possunt Parochi per consuetudinem dispensare in jejunio, etiam quoad esum carniùm, cum particularibus personis: quod specialiter de Diocesi Monasteriensi verum est, saltem pro locis, in quibus non residet Episcopus vel Vicarius ipseus, imò & pro his locis dicunt se facultatem habere Parochi saltem per consuetudinem, nec improbat Celsissimus Episcopus à me interrogatus, cum & fiat in urbe Roma, in qua Papa & ejus Vicarius resident; & ita tenent etiam plures cum *Leur. p. 1. q. 437. n. 1.*

1312 §: 5: Si Episcopus in Quadragesima dispensans permittat diebus Solis, Lunæ, Martis & Jovis carnes, dubium manet, 1: An in die Solis licitum sit, quoties quis volet, carnes comedere: 2: An illi, qui per ætatem vel labores possunt plures refectiões sumere, etiam possint pluries illis diebus vesci carnibus: Et de his interrogandus est dispensans, quia non ubique est eadem omnium voluntas.

An ille, cui permissus est esus carniùm vel secunda refectio, hoc ipso permissæ sint etiam plures, dictum est à n. 1269.

Nimiam

Nimiam esse in Episcopis, Medicis, Confessariis facilitatem dispensandi vel declarandi in jejunio & carnibus, conatur persuadere *Eliz.* in doct. morum l. 6. q. 16. §. 11., qui videri potest: Medicum autem dispensare non posse, dicitur l. 4. n. 1538.

Q. 256. *An dispensatus ad carnes valetudini servientes, v. g. ad gallinas, possit comedere omnis generis carnes etiam nocivas, v. g. porcinas.* R. Affirmat *Tamb.* in Dec. l. 4. c. 5. §. 1. n. 8., sed oppositum videtur probabilius, quia expressio illarum carnum satis significat mentem dispensantis esse ad has restrictam, maxime cum pro illis non sit ratio dispensandi, quæ erat conducentia ad valetudinem. *Nec obstat*, quod privilegia sint amplianda, nam nego hoc esse privilegium, sed est pura dispensatio à communi lege & consuetudine, adeoque odiosa & restringenda secundum dicta l. 1. n. 798. Si tamen propter valetudinem dispensatum esset in genere ad carnes, videtur licitum comedere quascumque, etiam si hæ aut illæ in communi non habeantur salubres, forte enim proderunt huic subjecto, maxime si ad illas sit magnus appetitus, nec immodicè sumantur; foretque aliàs nimis expositum scrupulis, cum nesciamus, quænam obsint aut profint magis.

Q. 257. *Quid addendum sit circa tempus vel ætatem, in qua obliget lex jejunii.* R. §. 1. Probabilius est contra *Nav.* & alios, quod adolescentes etiam valde robusti non teneantur jejunare ante annum 21. completum, nequidem aliquibus diebus, uti volunt *Silv.* & alii: Ratio est, quia Ecclesia illos solos obligat, qui incipiunt corpore consistere,

fistere,